

Joanne Archiepiscopo Moguntino, pro munere suo in Civitatem Francofurti de more ad certam diem vocati in eadem Civitate convenientes, ut Romanorum Regem futurum Imperatorem eligerent, qui praecelsis, Regnique virtutibus Republicam tueretur, iidem Principes Te, qui Hungariae, & Bohemiae Rex eras, unanimi consensu divina favente clementia in Romanorum Regem futurum Imperatorem solemniter elegerunt, Tuque electioni hujusmodi, oblato Tibi de more decreto, qua decuit, modestia consentisti, ac deinde in eisdem Civitatis Collegiata Ecclesia Sancti Bartholomaei post Missarum solemniam a praedicto Joanne Archiepiscopo Moguntino celebrata, per Te in manibus ejusdem Joannis Archiepiscopi praestito more Catholicorum Regum Romanorum Praedecessorum Tuorum juramento, aliisque solemnibus rite peractis dicti Joannis Archiepiscopi ministerio ritu, & pompa solita coronatus fuisti.

Electionem factam a Pontificis, petis confirmari.

Confirmat Paulus.

§.2. Quoniam vero electionis, coronationisque negotium hujusmodi nuper per dilectum filium nobilem virum Paulum Sabellum Albani Principem coram Nobis proponi fecisti, petens omnia praemissa per Nos apostolica auctoritate coeternis servari solitis confirmari.

§.3. Nos de praemissis per legitima documenta sufficienti habito testimonio, & re cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus diligenter perpensa, & mature considerata, magna animi nostri cum spirituali letitia ex eadem electione suscepta, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, Gloriosissimaeque ejus Genitricis Mariae, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, nec non ejusdem Romanae Ecclesiae, & Sacri Imperii exaltationem, & honorem, electionem de persona Majestatis Tuae in Regem Romanorum futurum Imperatorem, & Coronationem in dicta Civitate Francofurti factas ob praestantissimas animi, & corporis Tui dotes, luculentissimaeque earum iudicia, ac testimonia, & certissimam spem, quam de Te in sanctae fidei, ac religionis catholicae, ac nostrae, & Romanae Ecclesiae, illiusque rerum, & bonorum defensione, propagatione, & protectione conceptam habemus, de eorumdem Fratrum consilio, & unanimi assensu, auctoritate apostolica, & ex certa nostra scientia, ac de apostolica potestate plenitudine, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, omnesque, & singulos juris, & facti defectus, qui aut ratione formae, aut loci coronationis ejusdem, aut personarum electorum eorumdem, seu etiam ex eo, quod idem Mathias electus Imperator de manu Romani Pontificis auream coronam non suscepit, seu quavis alia ratione, vel causa in hujusmodi electione, & coronatione quovis modo forsan intervenerint, supplemus, Teque sic electum, & confirmatum ad suscipiendum Imperialis dignitatis culmen suis loco, & tempore dignum, & idoneum etiam decernimus, & declaramus.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis legibus imperialibus, ac privilegiis Electoribus ipsis, & quibusvis aliis forsan concessis. Quibus, etiam si ad illorum derogationem de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia forma servanda esset, illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat, auctoritate, scientia, potestate, & tenore praemissis specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantia tollit.

Clausulae.

§.5. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, suppletionis, decreti, declarationis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Dat. die 5. Maii 1620. An.XV.

✱ Ego Paulus Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Papa.

Satiabor cum apparuerit gloria tua.

- ✱ Ego Antonius Cardinalis Saulius Episcopus Ostien.
- ✱ Ego E. Cardinalis Cusentin. Episcopus Portuensis.
- ✱ Ego Benedictus Episcopus Sabinen. Card. Justinianus.
- ✱ Ego Franciscus Maria Cardinalis a Monte Episcopus Praenestinus.
- ✱ Ego F. Sfortia Cardinalis Episcopus Tusulanus.
- ✱ Ego A. Cardinalis Montaltus Episcopus Albanus. S. R. E. Vice-Cancellarius.
- ✱ Ego Petrus Tit. S. Mariae in Transiberim Presbyter Cardinalis Aldobrandinus S. R. E. Camerarius.
- ✱ Ego Octavianus Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Bandinus.
- ✱ Ego Bartholomaeus Tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis Casus.
- ✱ Ego Robertus Tit. S. Mariae in Via Card. Bellarminus.
- ✱ Ego Dominicus S. S. Apostolorum Card. Gymnasius.
- ✱ Ego Joannes Tit. S. Marci Presbyter Cardinalis de Vicentia.
- ✱ Ego Jacobus Tit. S. Stephani in Monte Caelio Cardinalis Sannesius.
- ✱ Ego Scipio Tit. S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis Burchesius.
- ✱ Ego Maphaeus Tit. S. Onuphrii Presbyter Cardinalis Barberinus.

Cardinalium-que subscriptiones.

✱ Ego

- ✱ Ego Jo. Garzia Tit. S. S. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Millinus.
- ✱ Ego Alexander Cardinalis Lantes Tituli S. S. Quirici, & Julitae.
- ✱ Ego F. Tit. S. Augustini Presbyter Cardinalis Verallas.
- ✱ Ego Joannes Tit. S. Clementis Presbyter Cardinalis Bonus.
- ✱ Ego P. Tit. S. Mariae de Populo Presbyter Cardinalis Philonardus.
- ✱ Ego Hor. Tit. S. Salvatoris in Lauro Presbyter Cardinalis Lancelottus.
- ✱ Ego Robertus Tit. S. Padutianae Presbyter Cardinalis Ubaldinus.
- ✱ Ego F. Presbyter Cardinalis Matius Tituli S. Prisca.
- ✱ Ego Ladislaus Tit. S. Mariae supra Minervam Presbyter Cardinalis de Aquino.
- ✱ Ego Petrus Tit. S. Thoma in Parione Presbyter Card. Camporinus.
- ✱ Ego Mathaeus Tit. S. Hieronymi Alyric. Presbyter Card. Priolus.
- ✱ Ego Scipio Presbyter Card. S. Susanna S. R. E. Bibliothecarius.
- ✱ Ego Andreas S. Eustachii Diaconus Card. Perettus.
- ✱ Ego Alexander S. Mariae Nova Diaconus Card. Effenst.
- ✱ Ego Alexander S. M. in Cosmedin Diaconus Card. Ursinus.

CCCVIII.

Confirmatio Constitutionum Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Augustini Congregationis Discalceatorum Italiae.

P. A U L U S P A P A V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sacri Apostolatus ministerio per abundantiam divinae gratiae, nullo licet merito nostro, praepositi ad ea, per quae Christianissimum, praesertim sub suavi Religionis jugo, & in humilitatis spiritu Altissimo famulantium felici, prosperaeque directioni consulitur, libenter intendimus, & iis, quae propterea facta fuisse dicuntur, ut ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter observentur apostolice muniminis adiicimus firmitatem, prout in Domino conspiciemus salubriter expedire.

Isti Fratres nonnullas Constitutiones, & Ordinationes condiderunt quarum approbationem modo petunt ab isto Pont.

Qui eas approbat, & confirmat supplet, de omnes defectus.

§.1. Cum itaque pro felici dilectorum filiorum Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Augustini Congregationis Discalceatorum Italiae regimine nonnullae Constitutiones editae, & illae jussu nostro recognitae, & examinae, ac in unum volumen compilatae sint, tenoris sequentis, videlicet. Omissitur tenor ipsarum Constitutionum, quas in unquoque Canonio ipsorum Patrum videre poteris.

§.2. Nos inviolabili earumdem Constitutionum observationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, Constitutiones praefatas, omniaque, & singula in eis contenta, apostolica auctoritate, tenore Bullae Rom. Tom. V. Par. IV.

re praesentium, perpetuo approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuae, ac inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus, omnesque, & singulos tam juris, quam facti, & quosvis alios defectus, si qui in praemissis, aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, supplemus.

Illasque omnibus servari decernit.

§.3. Decernentes, modernos, & pro tempore existentes dictae Congregationis Fratres ad plenariam earumdem Constitutionum observationem, prout illa eos concernunt, teneri, & obligatos esse, & fore, ac id etiam sub censuris Ecclesiasticis, & aliis in Constitutionibus praedictis contentis poenis cogi, & compelli posse.

Et ita, & non aliter iudicari mandat.

§.4. Sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolice Auditorum iudicari, & definituri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.5. Non obstante felicitis recordationis Julii Secundi, sub data die 24. Septembris 1508., ac Leonis X. Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, sub data 10. Julii 1533., ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, & infolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis, Quibus omnibus, & singulis, etiam si illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda foret, tenores hujusmodi praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 5. Maii 1620. An.XV.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quinta Maii 1620. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Mandatum Archiepiscopo Mexicano Cere-  
moniale Romanum introducendi in  
Cathedrali, & Dioecesi Mexican.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Mexican.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ven. Frater, salutem, & apostolicam  
benedictionem.

Abusus non-  
nulli in Cere-  
monis sa-  
cris in Dioec.  
Mexicana in-  
terpreta.

**E**Xponi Nobis nuper fecisti, quod in Ca-  
thedrali Ecclesia Mexican., ac etiam  
per totam tuam Dioecesim Mexican. non-  
nulli ritus, seu etiam abusus in Ceremoni-  
is Ecclesiasticis praetextu consuetudinum  
introducendi reperiantur, quos tollere, distat-  
que Civitatem, & Dioecesim Ritibus Cere-  
monialis Romani conformare plurimum  
desideras.

Archiepiscopus Cere-  
monias Romanas  
idem cupit  
observari.

§.2. Nobis propterea humiliter suppli-  
cari fecisti, quatenus in praemissis opportu-  
ne providere de benignitate apostolica dig-  
naremur.

Quod preci-  
pit Pontifex.

§.3. Nos igitur votis tuis, quantum cum  
Domino possumus, annuere, teque speciali-  
bus favoribus, & gratiis prosequi volentes,  
& a quibusvis excommunicationis, suspensi-  
onis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis  
sententiis, censuris, & poenis a jure, vel  
ab homine quavis occasione, vel causa la-  
tis, si quibus quomodolibet innotatus exis-  
tis, ad effectum praesentium dumtaxat con-  
sequendum, harum serie absolventes, &  
absolutum fore censentes, hujusmodi sup-  
plicationibus inclinati, de Venerabilium  
Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Eccle-  
siae Cardinalium sacris Ritibus praeposito-  
rum consilio; Quod de cetero perpetuis  
futuris temporibus in Civitate, & Dioecesi  
Mexican. Cereemoniale Romanum servari  
debeat, ac irritum, & inane, quicquid se-  
cus super his a quoquam quavis auctoritate  
scienter, vel ignoranter contigerit atten-  
tari, apostolica auctoritate, tenore praesentium,  
decernimus, & declaramus.

Abusus intro-  
ductos corri-  
pi.

§.4. Quocirca Fraternitati tuae per praesentem  
committimus, & mandamus, ut pro  
tua prudentia provideas, quod abusus cir-  
ca ritus, & Cereemonias Ecclesiasticas in-  
troducendi, juxta ejusdem Cereemonialis praescriptum  
corrigantur.

Contraria  
tollit.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus,  
& Ordinationibus Apostolicis, necnon Ca-  
thedralis, & aliarum Ecclesiarum hujusmodi,  
etiam juramento, confirmatione apo-  
stolica, vel quavis firmitate alia roboratis  
statutis, & consuetudinibus, privilegiis quo-  
que, indultis, & literis Apostolicis eidem  
Ecclesiis in contrarium praemissorum quo-  
modolibet concessis, confirmatis, & in-  
novatis. Quibus omnibus, & singulis, eo-  
rum tenores praesentibus pro expressis, &  
ad verbum insertis habentes, illis alias in  
suo robore permansuris, ad praemissorum  
effectum, hac vice dumtaxat specialiter, &  
expresse derogamus, ceterisque contrariis  
quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam  
Majorem sub Annulo Piscatoris die decima  
octava Maii 1620. Pontificatus nostri Anno  
Decimoquinto.

CCCX.

Ferdinando in Romanorum Imperatorem  
Electo Primariae Praeces, seu Indultum  
nominandi ad Beneficia primo vacatura  
conceduntur.

Ex Arch. in  
Arce S. Ange-  
li de Urbe.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Charissimo in Christo filio Ferdinando Roma-  
norum Regi illustri in Imperatorem  
electo salutem, & apostolicam  
benedictionem.

§.1. **C**um post factam de persona Tua  
per S.R.I. Principes Electores in  
Regem Romanorum electionem, per Nos  
pro universae christianae Reipublicae salute  
confirmatam, nuper Nobis significaveris,  
Te summo opere desiderare, personas tibi  
gratas, & acceptas, gratia, & munificen-  
tia, aliqua beneficia ecclesiastica consequi  
posse: Nos quemadmodum magnis merentur  
efferi laudibus, insignibusque praeco-  
niis commendari, & sublimium Principum  
desideria, & vota, quae in divini nominis,  
& personarum illi clericali vinculo adscri-  
ptarum amore feruntur, & opere postmo-  
dum consequente, tutum deducantur in  
actum; ita etiam dignum, vel potius debi-  
tum existimamus, ut quoniam in fidei sin-  
ceritate, & devotione illibata Ecclesia  
sponse nostrae Te fidelem advocatum de-  
vovisti, eamque humili professione Matrem,  
& Dominam Tuam recognovisti, & ad ip-  
sius honorem, ac S. R. I. decus, unionem  
victoriae, & diadema, & nostro uti mini-  
sterio, adveniente tempore suscipere, &  
in eis immobilis persistere intendis, verum  
etiam, tamquam ipsius Ecclesiae legitimus  
Pugil, & Athleta, Te adversus Schismati-  
corum, & Haereticorum, Turcarum ty-  
ramni, ac fidei, & Christi nominis ho-  
stis insanias, & furores spiritualiter, & tem-  
poraliter armaris, & in dies arma hujusmo-  
di jugiter exequeris, ea tibi favorabiliter  
concedamus, quae Tuae Celsitudini cedant  
ad honorem, & per quae eidem benemeritis  
personis Te munificum reddere possis,  
ope auctoritatis apostolicae, exhibitione  
gratiarum.

Ferdinandus  
Primarias Prae-  
ces sibi petit  
concedi.

§.2. Hinc est, quod Tuae Celsitudinis  
supplicationi inclinati, dicta auctoritate,  
praesentium serie, eidem Celsitudini Tuae  
concedimus, & indulgemus, quod, si per  
Te, quibusvis collatoribus, seu collatrici-  
bus quorumcumque beneficiorum ecclesi-  
asticorum saecularium, vel regularium Or-  
dinum quorumcumque per Sacrum Roma-  
num Imperium ubilibet constitutorum,  
etiam si qui, vel si quae ex illis Pontificali,  
vel

Concedit  
Pontifex.

Vel alia quavis auctoritate praesulgeant, seu  
Collegia, Capitula, & Conventus fuerint,  
super singulis beneficiis ecclesiasticis cum  
cura, & sine cura saecularibus, vel Ordi-  
num hujusmodi regularibus, in singulis Ca-  
thedralibus, & Metropolitanis, Collegiatis,  
& aliis quibusvis Ecclesiis, etiam si bene-  
ficia hujusmodi Canonatus, & Praebende,  
& ad Dignitates, Personatus, Administra-  
tiones, vel Officia in eisdem Cathedralibus,  
Metropolitanis, vel Collegiatis, & ipsae  
Praebendae in illis ex hujusmodi Ecclesiis,  
in quibus majores, vel minores Praebendae  
etiam noscuntur, etiam si majores fuerint,  
& ad Dignitates, Personatus, Administra-  
tiones, vel Officia hujusmodi consueve-  
rint, qui per electionem assumi, eisque  
cura imminuat animarum, dummodo Di-  
gnitates ipsae in Cathedralibus, & Metro-  
politanis post Pontificales majores, aut Col-  
legiatis hujusmodi principales hujusmodi  
non existant, ad eorundem Collatorum,  
& Collatricum collationem, provisionem,  
praesentationem, electionem, seu quam-  
vis aliam dispositionem, communiter, vel  
divisim pertinentibus singulis personis con-  
ferendis, seu super hoc, quod personae hu-  
jusmodi ad illa recipiantur, & admittantur  
preces porrigi, seu de personis eisdem  
ad hujusmodi beneficia, nominationes fieri  
contigerit, primarias ipsarum Collatores,  
& Collatrices, salvo, quod singula collatio-  
nes, & singula Ecclesiae ex hoc, ultra quam  
in uno beneficio non graventur, ac ipsi  
Collatores, & Collatrices saltem quatuor  
beneficia ecclesiastica conferre habeant, hu-  
jusmodi precibus, & nominationibus pare-  
re, & intendere; nec non personas ipsas  
ad hujusmodi beneficia, postquam de illis ip-  
sis canonice provisum fuerit, juxta earum-  
dem precum, aut nominationum tenorem,  
recipere, & admittere debeant, & etiam  
teneantur: ita quod Celsitudo Tua unam,  
& eandem personam supradictis Collatori-  
bus, & Collatricibus simul, vel successive  
nominare possit: ita tamen, quod quam-  
primum persona sic nominata de aliquo be-  
neficio provisum fuerit, eius nominatio quoad  
alios Collatores, vel Collatrices facta, ipso  
jure expiret; & quoad easdem preces, Ca-  
nonicatum, & Praebendam, ac Dignitatem,  
seu Personatum, Administrationem, vel  
Officium in una Ecclesia pro unico dumtaxat  
beneficio computari debere declaramus:  
Quodque quicumque quibusvis in Di-  
gnitatibus constituti, seu Ecclesiarum Ca-  
thedralium Canonici singuli, videlicet in  
illis, quos pro singulis personis praedictis,  
precum, & nominationum hujusmodi, &  
ad hoc, ut illa sortiantur effectum, etiam  
praesentium exequutores deputaveris per te,  
vel alium, seu alios beneficia praedicta cum  
in quibusvis etiam ordinariis Collatoribus,  
per Constitutiones nostras, aut literas al-  
ternativarum, aliaque privilegia, & indulta  
quae cumque quomodolibet concessis, &  
imposterum concedendis, aut aliis quibus-  
cumque mensibus vacaverint, & quae per-  
sonae, pro quibus preces, & nominationes

hujusmodi factae fuerint, quatenus hujusmo-  
di preces, seu nominationes ad illa se ex-  
tendant, infra mensem, postquam ipsis va-  
catio hujusmodi beneficiorum innotuerit,  
duxerint acceptanda, etiam si ipsa beneficia  
dispositioni apostolicae aliis quam per Con-  
stitutionem felicitis recordationis Benedicti  
Papae XII. Praedecessoris nostri, quae inci-  
pit: *Ad regimen*, generaliter reservata exis-  
tiant, & ex diversis personis vacaverint, &  
personae nominatae, tempore assequutionis  
beneficii, ad quod nominati fuerint, aliud  
beneficium in eadem Ecclesia obtineant, &  
secundum statuta, ac consuetudines Eccle-  
siarum, in quibus beneficia hujusmodi con-  
sisterint, vel indulta Ecclesiis concessa, ca-  
paces videlicet, in aetate legitima constitu-  
tae, aut de legitimo matrimonio procreatae  
non sint, dummodo quoad hujusmodi qua-  
litates alias cum eis canonice dispensatum,  
& beneficia in eadem Ecclesia obtinenda ta-  
lia sint, quae sine dispensatione apostolica  
insimul obtineri possint, aut consueverint,  
ac ipsorum vacantium beneficiorum colla-  
tio non fuerit, juxta Lateranensis statuta  
Concilii, ad Sedem praedictam legitime de-  
voluta, neque super illis inter aliquos lis  
pendeat indecisa, cum omnibus juribus, &  
pertinentiis suis personis ipsis, etiam duo,  
vel tria, seu plura quantumcumque qualita-  
tum, & cujuscumque annui valoris, Eccle-  
sastica beneficia obtinenda, & expectanti-  
bus conferre, & assignare, nec non omnia,  
& singula, quae ad hoc, ut precum,  
seu nominationum, & acceptationum, ac  
collationum hujusmodi succedat effectus,  
opportuna fuerint, facere, auctoritate no-  
stra per censuram ecclesiasticam exequi  
possint, & valeant: super quibus ipsis plenam,  
& liberam, auctoritatem praedictam, te-  
nere praesentium, potestatem concedimus,  
& facultatem, ac personis praedictis, pro  
quibus hujusmodi primarias preces porrigi,  
seu nominationes fieri contigerit, quod  
ipsae expectativis, ac nominationibus, seu  
speciali reservationum de quibusvis bene-  
ficiis pro eis factarum gratiis, & mandatis  
de providendo ipsis de eisdem, si quae ipsis  
concessa fuerint, unacum gratia precum,  
& nominationum primariorum earumdem  
uti possint: nec aliqua gratiarum hujusmodi  
consumpta, reliqua earumdem casse cen-  
seantur, vel irritae indulgemus.

§.3. Non obstantibus nostris de non  
utendo gratia expectativa, ac reservatione  
speciali, ac duabus gratiis insimul, ac de  
insinuatione, ac publicatione, & diligen-  
tibus per acceptantes desuper faciendis, ac  
in favorem ordinariarum Collatorum, nec  
non expectativis in forma pauperum ha-  
bentia, ac illustrium, & graduatorum, ac  
Sedis praedictae Officialium, ac certas inibi  
expressas gratias habentium, nec non quibus-  
cumque in Cancellaria Apostolica quan-  
documque publicatis, & publicandis, ac  
aliis Constitutionibus, & Ordinationibus  
Apostolicis, nec non aliis Ecclesiis, in  
quibus beneficia hujusmodi forsitan fuerint,  
statutis, & consuetudinibus, illis praeser-  
tim,

Obstantibus  
derogant.

tim, quibus in Ecclesiis, in quibus majores, & minores Præbendæ hujusmodi fuerint, caveri dicitur, quod nullus inibi majorem Præbendam assequi possit, & valeat, si illa de minori gradatim, & per optionem ascendat, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus super provisione sibi faciendæ hujusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis speciales, vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus literæ, etiam nostro, vel eas concedentium proprio motu, aut cuius etiam, quocumque respectu, & ad cuiuscumque instantiam sint concessæ, vel concedantur impofterum, seu si speciales de hujusmodi beneficiis per Nos, vel Sedem prædictam, aut quæcumque alie, aut quæcumque nominandi, & reservandi facultatem quibusvis, quæcumque etiam ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, per Sedem prædictam concessarum, vel concedendarum, vigore reservationum, si ve earumdem facultatum obtento, ad hujusmodi beneficia quarumcumque personarum nominationes pro tempore factæ fuerint: quas quidem literas, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliis quomodolibet processum fuerit, nec non reservationes, facultates, & nominationes, cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis clausulis, quatenus presentium effectum suspendere, impedire, vel perimere, aut aliis eisdem presentibus quomodolibet obfistere viderentur, si ve ex certa scientia nostra, vel simili motu, si ve aliis sub quibusvis forma, & expressione verborum, & quæ fortassis totalis sui tenoris insertio nem, ac illorum, quibus concessa sunt, vel fuerint nominum, & cognominum individuali expressionem presentibus faciendam, ad hoc ut illis per easdem presentes sufficienter derogetur, exigunt, vel requirunt, & quæ ipsi presentibus, perinde ac si eorum tenor de verbo ad verbum insertus foret, pro expressis habeantur, & mandata de providendo inde sequuta, cum processibus per ea pro tempore habitis, nisi illi, pro quibus emanaverint, ut præfertur, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium numero fuerint, ad Beneficia, quæ precum, & nominationum primariorum vigore per personas, pro quibus illæ factæ fuerint, acceptata, etiam de quibus eis provideri contigerit, minime extendi, cum imo in illorum executione personas ipsas omnibus, & quibuscumque eorum literarum, & expectativarum ac reservationum hujusmodi vigore, & cum quibusvis antelationibus, prærogativis, etiam illis, quas certis nostris Familiaribus, continuis Commensalibus in Camera apostolica, ac aliis nostris literis ad effectum, & aliis in assequutione beneficiorum conferendis, nominatim descriptis concessimus, & cum similibus derogatoriis clausulis, quæ nulli, quominus presentium succedat effectus, suffragari debeat, expectantibus,

etiam si illarum obtentum in quibusvis Ecclesiis in Canonicos recepti, ac de numero ipsorum Familiarium continuorum Commensalium antiquorum fuerint, necnon gratias in communi forma pauperum habentibus, ac officialibus, & illustribus, ac aliis quascumque facultates habentibus, etiam nostris familiaribus continuis Commensalibus antiquis, & descriptis, & impofterum describendis, dictis Cardinalibus dumtaxat exceptis, anteferri volumus, sed nullum per hoc expectantibus ipsis, quoad assequutionem beneficiorum aliorum, præjudicium generari, seu si dictis Collatoribus, vel Collatricibus, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint: Quodque de hujusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctum, vel separatim spectant, nulli valeat provideri per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; Et qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cuiuscumque toto tenore, habenda sit in nostris literis mentio specialis. Aut si persona prædicta non fuerint ad præstandum de observandis statutis, & consuetudinibus Ecclesiæ, in quibus hujusmodi Beneficia fuerint, ut præfertur, solita juramenta, dummodo in absentia sua per Procuratores idoneos, & cum ad Ecclesias ipsas accesserint corporaliter, illa præsent, necnon Concordatis Nationis Germanicæ, ac eorum Concordatorum confirmatione, ac prædictis, & quibuscumque aliis quocumque editis, & edendis Constitutionibus, & regulis nostris, & dictæ Cancellariæ, ad quarum solemnitatem adstrictiorem formam, vel satisfactionem, seu observantiam habentes preces, seu nominationem hujusmodi, minime teneantur, nec ipsæ preces sub illis comprehendantur quoquo modo, nec non quibusvis privilegiis, indultis, & literis Apostolicis, & quibusvis gratiis, expectativis, specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus, reservationibus, unionibus, annexionibus, & incorporationibus, suppressionibus, & extinctionibus perpetuis, & temporalibus, nominationibus, ac reservandi, uniendi, adnectendi, incorporandi, ac nominandi, & aliis conferendi, commendandi, supprimendi, & extinguendi, aliisque citra accessus, & regressus de consensu, facultatibus, literis, mandatis, & indultis quibuscumque, etiam cum provisionibus, Commendis, & aliis dispositionibus ex tunc, & gratiis quibuscumque personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, vel conditionis existentibus, & quacumque

etiam Imperiali, Regali, Reginali, Ducali, si ve Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel majori auctoritate, præminentia, nobilitate, & excellentia, eti. n Cardinalatus honore fulgentibus, & Familiaribus continuis Commensalibus nostris, etiam descriptis, & antiquis, & in earum Ecclesiarum, etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, ac Patriarchalium, & principalium Monasteriorum, Mensarum, Capitulorum, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum quorumcumque, aut in illius favorem, aut eorum, nec non jurium cesforum, vel ablatorum, aut spoliatorum, damnorum etiam per infideles illatorum, & obsequiorum Nobis, Romanæque Ecclesiæ, vel dictæ Sedi, aut pro fide catholica impensorum, seu quibusvis aliis excogitabilibus, & urgentissimis, & insolitis, nec non exprimentis causis, consideratione, contemplatione, instantia, intuitu, ratione, vel respectu, ac motu proprio, ac ex certa scientia, ac de apostolica potestatis plenitudine, & cum quibusvis antelationibus, exceptionibus, & annullativis, irritativis, ac derogatoriis derogatoriis, nec non prædictam, & aliis quascumque concessas, & concedendas gratias suspendentibus, ac illis derogantibus, nec non mentis, & intentionis, ac perpetuæ, & incommutabilis voluntatis nostræ fuisse, & esse de non revocando, & suspendendo gratias easdem, & illis non derogan. quomodolibet attestantibus, & in pristinum, & validissimum statum reponentibus, restituentibus, ac plenarie reintegrantibus, ac per modum pacti, & initi contractus, ac perpetui statuti, nec non gratias ipsas, ut de actu vacantibus expectare, & ex tunc vere, & non fiste, & quoad possessionem beneficiorum prædictorum, ac omnes juris, & facti defectus, plenum esse sortitas effectum decernent, & declarant, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis per Nos, & Sedem prædictam, aut ejus Legatos in genere, vel in specie, & nominatim de dictis beneficiis, & aliis quomodolibet emanatis. Quibus, etiam si in illis, quod illæ non nisi certis modis, & formis inibi expressis, & nominatis, verbisque, & signis inibi apposis, & omni diversarum literarum apostolicarum expeditione, & intimatione, etiam diversis temporibus faciendæ, ac de consensu eorum, quorum interesse concernebatur, aut etiam nullatenus suspendi, moderari, aut eis in aliquo derogari posset, & quatenus suspenderentur, aut illis derogaretur, toties de novo, & sub quacumque data per illos, quorum interesse concernebatur, eligenda, concessa, & facta sint, & esse censeantur, ac expediri possint: ac sic, & non aliter per quoscumque Judices, & personas judicari debeat, caveatur expresse, illorum omnium tenores pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, ac modos, & formas hujusmodi pro individuo servatis habentes, ad effectum presentium omnino derogamus, & in dictis beneficiis, cum, ut

præfertur, vacaverint, effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse.

§.4. Præsentibus quoque literas nullatenus de subreptionis, & obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu notari, aut impugnari posse, nec debere, & sic per quoscumque tam ordinaria, quam delegata, & mixta auctoritate fungentes Judices, & personas ubique judicari, cognosci, atque decidi debere, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, cognoscendi, & decidendi facultate, nec non irritum, & inane, quidquid secus super præmissis omnibus, & singulis, vel eorum aliquo, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, caterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Præterea, quia difficile foret, præsentibus literas ad singula loca deferri, volumus, ac dicta auctoritate nostra decernimus, quod illarum transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ubique adhiberetur eisdem presentibus, si forent exhibitæ, vel offensæ.

§.6. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ declarationis, concessionis, indulti, derogationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo, Prædie Nonas Junii, Pontificatus nostri Anno XVI.

## CCCXI.

Institutio Collegii S. Antonii de Patavio in Insula Melevitana, & Domo regulari Fratrum Minorum Conventualium Ordinis Sancti Francisci pro Studentibus ejusdem Ordinis.

## PAULUS PAPA QUINTUS

Ad perpetuam rei memoriam.

**I**N supereminenti Apostolica Sedis Specula, meritis licet imparibus, disponente Domino, constituti, & intra mentis nostræ arcana revolventes, quantum ex literarum studiis catholica fides augeatur, divini nominis cultus protendatur, veritas agnoscat, ac justitia colatur, ad ea, per quæ literarum studia hujusmodi ubilibet excitentur, libenter intendimus, & in his sollicitudinis nostræ partes propensius impartimur, prout locorum qualitate pensata conspiciamus in Domino salubriter expedire.

§.1. Cum itaque, sicut dilectus filius Minister generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, in domo regulari ejusdem Ordinis in Insula Me-

Clausulas præservativas apposit.

Præsentium transumptis credi jubet.

Clausulas penales.

Dat. die 4. Junii 1620. An. XVI.

Exordium.

Ministri Generalis preces

levi-

levitana quamplures d. domus Fratres uberes in vinea Domini fructus producere noscantur, ac in eadem domo cum ob Insula hujusmodi celebritatem, mansionemque satis perspicuam, tum propter Turcarum, & Infidelium viciniam, unius Collegii studii pro ejusdem Ordinis in praedicta domo professoribus, qui literis, & praesertim Sacra Theologia operam navent, erectio, & institutio perutilis futura sit, Nobis propterea tam Minister praedictus, quam dilectus filius Alophius de Wignacourt, Hospitales Sancti Joannis Hierosolymitani magnus Magister humiliter supplicari fecerunt, quatenus Collegium hujusmodi cum facultate aliquot Professores ejusdem Ordinis idoneos gradus Magisterii in Sacra Theologia decorandi, & alias ut infra erigere, & instituire, ac desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Executio, de qua in Rubricis

§.2. Nos pius, & laudabilibus Ministri, ac Alophii Magni Magistri praedictorum votis quantum cum Domino possumus, annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Regularium praepositorum consilio, ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, necnon Militantis Ecclesiae exaltationem, Divinique cultus, & Orthodoxae fidei augmentum, ac Religiosorum praedictorum commoditatem, atque profectum in praedicta domo unum Collegium sub invocatione Sancti Antonii de Padua, ejusdem Ordinis Minorum Conventualium professorum, ad instar Collegii Sancti Bonaventurae per felicis recordationis Sixtum Papam Quintum Praedecessorem nostrum in domo regulari Sanctorum Duodecim Apostolorum de Urbe, ejusdem Ordinis, sub Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae 1587. Kal. Januarii, Pontificatus sui Anno Tertio erecti, & instituti, ita tamen, ut sex dumtaxat primordiae domus Religiosi a praedicto Ministro generali eligendi, ad Magisterii hujusmodi gradum, nisi postquam per debitum tempus Philosophiae, & Sacrae Theologiae in Collegio per praesentes erecto operam dederint, & praevio rigoroso examine ad id idonei reperti fuerint, ac aliquo disputationum publicarum solemnium actu, reliquisque munitis solitis, & ex instituto d. Ordinis adimpletis, servatissimeque aliis servandis, & non aliis, ad Magisterii in eadem Sacra Theologia gradum, promoveri valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium, perpetuo erigimus, & instituimus.

Clause

§.3. Decernentes praesentes literas semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere; Sique per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ubique judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstant. Constitutionibus, &

Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis hujusmodi, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, caterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die decima Julii 1620., Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

Dat. die 10. Julii 1620. An. XVI.

CCCXII.

Impositio Decimae in Germania pro Religionis defensione ab omnibus Ecclesiasticis uno tantum anno persolvenda.

Ex Reg. in Secret. Breve.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad futuram rei memoriam.

Militantis Ecclesiae regimini, disponente Domino praesidentes, inter graves sollicitudines, quibus pro pastoralis Officii, & Apostolicae servitutis debito continue premimur, ea nunc est praecipua, quam inclita Germania praesens status nobis merito conficit. Quamobrem libenter pastoralis officii nostri partes interponimus, cum ea a Nobis postulatur, per qua Catholicorum vires ad resistendum hostium verae fidei conatibus augentur, prout rerum, & temporum qualitatibus debite pensatis conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Procurium.

§.1. Sanè, cum sicut accepimus, Principes, & Ordines, tam ecclesiastici, quam saeculares in Germania, ob inibi concitatas ad praesens per humani generis hostem motus, & Catholicae Religionis, in quo versatur, discrimen, pro ejusdem Religionis defensione, confederati soli haecenus gratia expensarum onera, ob causam praedictam sustineant, ita ut nisi de aliquo subsidio mature prospiciatur, verendum sit, ne tantis oneribus impares deficiant.

Causa imponendi Decimam.

§.2. His igitur, & aliis gravissimis causis ad Dei gloriam, Sanctaeque ejus Ecclesiae defensionem, & exaltationem pertinentibus adducti, supplicationibus nomine eorumdem Confederatorum Nobis humiliter porrectis inclinati, de tributa Nobis a Domino Apostolica potestatis plenitudine, tenore praesentium, indicimus, & imponimus unam semel, & praesenti anno in una, vel pluribus solutionibus, arbitrio Collectorum infra deputatorum, persolvendam integram Decimam in usum praesentis belli contra haereticos tantum, & non in alios usus erogandam, omnium, & quorumcumque fructuum, reddituum, & proventuum, Jurium, obventionum, emolumentorum, ac distributionum quotidianarum omnium Ecclesiarum Collegiatarum, Parochialium, necnon Monasteriorum, & Conventuum, ac etiam Mensarum Abbatialium, Capitularium, tam Cathedralium, & Metropolitanarum, quam quarumcumque Collegiatarum Ecclesiarum, necnon Conventualium, Prioratuum quoque, Praepositorum,

Eam imponit Pontifex.

rum, Praepositorum, Canonicatum, & Praebendarum, Dignitatum, Personatum, Administrationum, etiam Fabricae, & Officiorum, ceterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura, secularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacen., Cisterciens., Praemonstraten., & si qui bona immobilia, redditusque certos ex privilegio, vel aliis possident, Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus, necnon Congregationum Regularium, iis dumtaxat exceptis, quae a Ven. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus obtinentur, seu percipiuntur, ac quoad Beneficia curata, iis quorum annuus redditus summam quadraginta ducatorum auri de Camera non excedunt, & praeterea hospitalium etiam pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona, & redditus ultra usum infirmorum, & alia, pro quibus instituta sunt, pia officia exercenda possident, nec non Beatae Mariae Teutonicorum, S. Lazari, Templi Dominici, ac quoad illos, qui communi thesauro sui Hospitalis Mellevitan. onera solita non contribuant, etiam S. Joannis Hierosolymitani, & aliarum Militiarum in Colonien., Treveren., Salisburgen., Bambergens., Herbipolen., Eysteten., Spiren., Wormatiens., Argentinen., Constantin., Augustan., Ratisbonen., Passavien., & Frisingens., Civitatibus, Dioecibus, Provinciis, Patriis, & Ditionibus existentibus, secundum communem estimationem fructuum, & aliorum praedictorum, ac similiter integram Decimam omnium pensionum super praemissis assignatarum, & assignandarum semel tantum, ut dictum est, percipiendi, exigendi, a quibuscumque Primatibus, Praepositis, Decanis, Capitulis, Canonicis, Rectoribus, Beneficiis, Abbatibus, Prioribus, Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, fratribus Militibus, & aliis quocumque nomine nuncupatis saecularibus, & Regularibus, ceterisque cujuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus praeterquam Cardinalibus praedicta quocumque Jure, modo, occasione, ea obtinentibus, seu detinentibus, & obtenturis, nec non Economis, & Administratoribus perpetuis, seu temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, res, & alia quaecumque hujusmodi Jura, & bona ex quacumque causa, quavis auctoritate in toto, vel in parte sibi reservata, aut concessa habentibus, vel habituris, saecularibus, & Regularibus Ordinum, Congregationum, Militiarum, & Hospitalium praedictorum, necnon ab ipsis Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, Militibus, Mensis, Mallis, & locis quocumque privilegio, & exemptione reali, personali, & mixta antiqua, & immemorabili, pacifica, & continuata sussultis: Quos omnes, exceptis supra dictis, in una, vel pluribus solutionibus, ut praefertur, Collectoribus praedictis volumus Decimam praedictam infra terminum ab eisdem Collectoribus praescribendum persolvisse, ita ut, qui pensiones solvere debent, etiam no-

mine Pensionariorum Decimam pensionum persolvant, & deinde in proximis terminis pensionum eam ratam sibi retineant, ad rationem decem pro centenario, nisi iidem Collectores ab ipsismet Pensionariis eam exigere maluerint.

§.3. Decernentes nullas omnino exemptiones, & immunitates exactionem hujusmodi impedire posse; Sique per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac Cardinales praedictos, & de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clause

§.4. Ut autem supra dicta diligenter, & fideliter executioni demandentur, Veni: Fratres Aescanum Patriarcham Constantinopolitanum Nuncium Nostrum, ac Episcopum Eysteten., quorum integritas, & prudentia Nobis jampridem cognita est, Decimae praedictae Collectores in universis Civitatibus, Dioecibus, Provinciis, Patriis, & Ditionibus praedictis cum omnibus Jurisdictionibus, quae hujusmodi Collectoribus de Jure, vel consuetudine quomodolibet competunt, auctoritate, & tenore praedictis constituimus, & deputamus, Mandantes, ut quidquid inde per se, vel subcollectores suos exegerint, id omne in usus praesentis Belli tantum, & nec alias erogari curent, & faciant, ac Aescanio Patriarchae, & Nuncio, necnon Episcopo praedictis plenam, liberam, & amplam, ac absolutam potestatem, Decimam hujusmodi ubique, eorum arbitrio, habita tamen ratione communis estimationis fructuum, ac etiam onerum cuique Ecclesiae, aut loco Sacro, vel pio, unde exigenda erit incumbendum, taxandi, & exigendi, atque ubi opus fuerit, moderandi, & ad minorem summam reducendi, praedictos omnes tam conjunctim, quam divisim ad integram illius solutionem etiam per edictum locis publicis assignandum, etiam sub censuris, & poenis ecclesiasticis monendi, & requirendi, non parentes, contumaces, & fraudantes in censuras, & poenas praedictas incidisse declarandi, proprietates, & rebelles quoscumque, cuique auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte quovis quaesito colore praestantes, cujuscumque dignitatis, gradus, & Ordinis fuerint, praedictis, aliisque censuris, & poenis ecclesiasticis, nec non pecuniariis, ceterisque juris, & facti remediis opportunis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, Dignitatibus, Beneficiis, & officiis omnibus privandi, & amovendi, & ad futura inhabiles faciendi, Interdictum ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii secularis, quodcumque opus fuerit, invocandi; Ad sanitatem vero reversos, qui debi-

Collectorum deputatio.

1620. 289

te satisfecerint, ab omnibus censuris, & poenis supradictis in forma Ecclesie consueta absolventi, Præterea Collectores, & subcollectores fide, & facultatibus idoneos in omnibus Civitatibus, Diocessibus, Provinciis, patriis, & Ditionibus prædictis quot quot viderint expedire, cum simili, aut limitata, non tamen absolventi potestate, constituendi, eumque, vel eos arbitrio suo revocandi, negligentes, & morosos removendi, ac alium, seu alios subrogandi, quotiescumque eis videbitur, in delinquentes, & contumaces per se, vel alium, seu alios etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicii inquirendi, ac meritis poenis puniendi, modos, & formas in prædictis servandos præscribendi, dubia quæcumque in præmissis forte oritura declarandi.

Derogatio  
contractorum

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & in concilio generali edita de duabus dietis, & aliis Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, & locorum prædictorum, etiam Juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis: quodque personis prædictis, eorumque Ecclesiis, & locis, vel quibusvis aliis communiter a prædicta sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto, necnon personis, eorumque nominibus, cognominibus, Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & locis huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus in genere, vel in specie quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, & solutiones Decimarum aliter quam secundum antiquam Taxam, & nisi in universali Decimarum per orbem, aut per universali Romani Imperii loca impositione fieri prohiben, necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, Juramentis, renunciationibus, vinculis, & cautelis in assignatione prædictarum pensionum factis, quibus per impositionem Decimarum huiusmodi mentionem teneri, neque eas quoad præmissa contra quemcumque locum habere declaramus, alisque Indultis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus cuiuscumque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut totaliter non inserta effectus earum impediendi valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ omnia contra prædicta nolumus cuiquam suffragari, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præservatio  
Constitutionis  
Clementis  
PP. V.

§. 6. In percipiendis vero Decima prædicta pia mem. Clementis Papæ V. etiam prædecessoris nostri in Concilio Viennen. editam constitutionem, ac præsertim quod ad monetam currentem exigi, quodque nec Calices, nec libri, cæteraque Ecclesiarum

ornamenta divino cultui dicata, aliave suppellex Ecclesiastica ex causa pignoris capi, recipi, vel distrahi, aut aliâ quomodolibet occupari debeant, ubique præcipimus observari, quinimo volumus, ut illius occasione ecclesie, Monasteria, aliaque pia, & sacra loca quæcumque debitis propterea non fraudentur obsequiis, ac divinis in eis cultus, & solitus Altissimo famulantium, & Ministrorum numerus nullatenus minuat, nec eis quoquo modo in iuncta onera, aut pia, quæ exerce ri solent opera, & Officia ullo modo minuantur, seu negligantur, sed eorum congrue supportentur onera, consueta. Nec quisquam etiam plura fortasse Beneficia, aut pensiones cuiuscumque valoris obtinens pro quietantia, ultra vigesimam partem unius aurei nummi solvere cogatur.

Transumptis  
sanda fides.

§. 7. Præsentium vero literarum exempli etiam impressa Notarii publici manu subscripta, ac alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillo ob signata, eandem in iudicio, & extra illud ubique locorum fidem facere, quam ipsæ originales facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorum sub Annulo Piscatoris die 31. Julii 1620. Pontificatus Nostri Anno XVI.

Dat. die 31.  
Julii 1620.  
An. XVI.

CCCXIII.

De Abbatibus, Prioratibus, aliarumque Domorum Congregationis Monachorum Beatæ Mariæ Montis Virginis Ordinis Sancti Benedicti erectione; Abbatumque & Priorum, ac aliorum eis præfectorum electione; Vocalium in Capitulis præfinitione; Novitiorumque, Conventuum, & aliorum habitu, atque regimine.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Postulat ratio pastoralis officii Nobis licet imparibus meritis divina providentia commissi, ut Congregationum ad divini cultus augmentum, & Religionis propagationem institutarum conservacioni intendentes, illa statuamus, & decernamus, per quæ non solum ipsæ Congregationes conservari, verum etiam incrementum suscipere valeant.

Exordium.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, alias dilectus filius Joannes de Leonardis Clericus Regularis Congregationis Lucensis ad restituendam, & augendam regularem disciplinam Monachorum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Montis Virginis a fel. rec. Clemente Papa VIII. prædecessore nostro delegatus, decretis Concilii Tridentini in hærens, & in vim facultatum sibi a dicto Clemente prædecessore attributarum, ne major esset Monachorum numerus, quam eisdem Congregationis redditibus ali possit, quædam Monasteria Ordinis, & Congre-

Quia decretum  
Delegato Ap.  
edita circa  
Monasteria  
Congregationis  
retinenda  
& respective  
dimittenda  
exequi minime  
opportuna  
fuit.

gregationis prædictorum perpetuo retinenda alia per modum provisionis, & ad certum tempus, reliqua supprimenda decreverit: experientia vero compertum sit, in executione decretorum ipsius Joannis difficultates, & incommoda, & detrimenta varia circa ecclesiasticum cultum, reddituum, & Monasteriorum conservacionem, & mantentionem nasci, & proinde dictus Clemens prædecessor multa ex illis sustulerit, & immutaverit, multaque alia pro conservacione, & augmento Ordinis, & Congregationis prædictorum veniant abroganda.

Pontifex de-  
cernit quod  
Monasteria  
24. sint, cum  
certo Monachorum  
numero

§. 2. Idcirco Nos dictorum decretorum tenores, ac si de verbo ad verbum inferrentur, præsentibus pro expressis habentes, matura deliberatione desuper habita, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, perpetuo statuimus, & ordinamus, quod Monasteria, quibus tota Congregatio Montis Virginis consistere debet, infra scripta viginti quatuor sint, & in eisdem infra scriptis Monachorum numerus ali debeat, qui neque minui, neque augeri, nisi quatenus augeatur dictorum Monasteriorum redditus, possit.

Ex quibus  
tredecim gub-  
nentur per  
Abbatem.

§. 3. Videlicet Monasterium Montis Virginis de Monte, in quo sint Monachi centum computatis omnibus tam professis, quam oblati, & famulis, ita tamen, ut dimidia saltem pars sint Sacerdotes, Monasterium Sanctæ Mariæ Montis Virginis de Neapoli, in quo sint sexdecim; Et Monasterium Casæ Maricanæ, in quo quatuordecim, comprehensis Professis, Oblatis, & famulis, ut supra dictum est. Monasterium in Sanctæ Mariæ Virginis de Capua; S. Mariæ de Gratia Terræ Pintæ; Sanctæ Mariæ Montis Virginis Terræ Candide; Sanctæ Mariæ de Gratia Maritimi; Sanctæ Mariæ Virginis de Averfa, & Sanctæ Agathæ Urbis Romæ, S. Salvatoris de Gufero, S. Agathæ de Apulia; S. Mariæ Laventanæ Montis Falconis; S. Joannis de Argentone: in quibus singulis sint Monachi duodecim, omnibus supradictis computatis. Prædicta vero Monasteria gubernentur sub titulo Abbatis, iisque non præficiantur nisi Monachi spectatæ virtutis, & disciplinæ.

Alia vero  
undecim per  
Priores ad ea  
eligendos.

§. 4. Monasteria S. Honuphrii Terræ Abbedinæ; Sanctæ Crucis Terræ Palmæ; S. Joannis de Sarno; S. Jacobi in Terra Lauri; Sancti Benedicti de Ariano; S. Joannis Baptistæ de Castello; S. Joannis Baptistæ Nuceria; S. Jacobi de Benevento; Sanctæ Mariæ de Gratia de Carviscara; Sanctissimi Corporis Christi Montis Aurei; S. Jacobi Terræ S. Angeli de Scala, in quibus sint Monachi sex pro quolibet Monasterio, neque plures, neque pauciores, computatis omnibus supradictis, & Monasteria prædicta gubernentur sub titulo Prioris.

Qui Priores  
iuxta eorum  
merita suffi-  
ciantur in lo-  
cum deceden-  
tium Abbatum.

§. 5. Qui quidem Priores, Abbatibus decedentibus, per gradus præficiantur Monasteriis majoribus supradictis, prout eorum virtutum merita, & administrationis ratio postulare videbuntur.

§. 6. Ex numero vero dictorum undecim Priorum, quierunt ad nuntium amovendi.

biles, tres eligantur per vota secreta ipsorum tantum undecim Priorum, fabis albis, & nigris in pixidem conjiciendis, & qui plura vota tulerint, i vocem electivam in Capitulo habeant; ea vero electio celebretur coram Abbate Generali, & duobus Definitoribus, vel saltem uno, si alter aliquo impedimento intercedente adesse non poterit.

Et eorum  
tres coram  
Abbate, &  
Definitoribus  
ab ipso  
11. Prioribus  
eligendi vocem  
electivam ha-  
beant in Ca-  
pitulo.

§. 7. Decanus vero, Definitor, seu Visitator, Procurator Generalis in Urbe pro tempore existens, nec non supradicti omnes Abbates, & Magister Novitiorum, quantum est ad præsens, & Vicarius similiter ad præsens existens Presbyterorum Montis Virginis, qui declaretur Abbas, & deinceps eligetur ex supradicto numero Abbatum, semper vocem habeant activam, & passivam in Capitulis Generalibus, & Provincialibus, & in electione Abbatis Generalis Definitorum.

Decanus, De-  
finitores, Pro-  
curator gene-  
ralis, & om-  
nes supradicti  
Abbates  
vocem habe-  
ant, in Capitu-  
lis, & in e-  
lectione Abba-  
tis Generalis,  
ac Definito-  
rum.

§. 8. Omnesque Abbates supradicti gaudeant, & gaudere debeant omnibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, & præminentis, quibus gaudent Abbates Camaldulenses quocumque jure.

Abbates præ-  
dicti gaudeant  
privilegiis Ab-  
batum Ordinis  
Camal.

§. 9. Monachi quoque senes, & sexaginta annis majores, cum fuerint Abbates ad minus decem annis, & seu per dictum temporis spatium iis locis præfuerint, qui nunc Abbatia appellantur, licet velint cedere officio, quod obtinent, habeant pariter vocem activam, & passivam in omnibus Capitulis, & electionibus, si tamen ad id consenserit Capitulum Generale, & non alias.

Monachi ma-  
jores ann. 60.  
qui Abbates  
aut locis præ-  
dictis per ann.  
10. præfue-  
rint vocem  
habeant, in  
Capitulo  
velit.

§. 10. In aliis Monasteriis, seu Domibus, & membris, quæ prædictis Monasteriis unita, & annexa, vel aliter reperiuntur, nulla in posterum constituatur familia, sed Monachus tantum unus Sacerdos quadraginta annorum major, ac probata vitæ cum uno Converso, seu Oblato collocetur, qui sint, & censeantur ex familia, cui Domus, seu membrum illud unitum fuerit, ac in ea ecclesia celebrent, & bonorum, & reddituum curam habeant. Huiusmodi vero Monasteria, seu domus sint infra scripta; videlicet Monasterium Sanctæ Mariæ Magdalene de Salerno; Sanctæ Mariæ de Nive de Trivico; S. Bartholomæi de Troja; S. Joannis Baptistæ de Avellino; Annuntiatae Altavillæ; Sanctæ Mariæ Annuntiatae de Merculiano; Montis Virginis de Thiano; S. Mariæ de Nive de Prata; S. Leonardi de Montefuscato; S. Mariæ de Ascensione de Carriffo; S. Mariæ Annuntiatae de Illiceto; Sancti Donati de Afculo; S. Mariæ de Tocco; S. Mariæ de Bojano; S. Mariæ Montis Virginis de Altovilla Capacii; S. Catharinæ de S. Martino; S. Mariæ Annuntiatae de Matalona; S. Mariæ de Airola, & S. Rocchi de Baniolo.

In aliis 10.  
Monasteriis  
quæ prædictis  
unita sunt,  
collocetur unus  
Monachus cum  
60. converso,  
vel Oblato, Sacer-  
dos 40. ann.  
major, & hi  
censeantur de  
familia Mo-  
nasterii, cui  
illud in quo  
degit Mon-  
asterium u-  
nitum erit.

§. 11. In Monasteriis autem Feudi, quod sicut accepimus, membrum est Monasterii Montis Virginis, & animarum curam habet, sint Monachi, quot sicut pariter accepimus, in eo esse solent, numero quinque; in Monasterio Putcolano, quod ut aseritur hos-

In reliquis  
domibus, seu  
membris, alii  
deputentur,  
ut hic.